DE PHILISTO RERUM SICULARUM SCRIPTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. MENSIS IANUARII A. MDCCCLXXIV, HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

VOLGANGUS KOERBER

VRATISLAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

EUGENIUS WALTHER, CAND. PHIL.

ADOLFUS REECK, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS OSCAR RAABE.

VIRIS INLUSTRISSIMIS

MARTINO HERTZ

ET

AUGUSTO ROSSBACH

SACRUM.

Mandamus hisce literis quicquid perscrutati sumus de scriptore eo cuius et indoles et ingenium omnium facile qui apud veteres excellentium historicorum laudem sibi pepererunt maxime est mirum ac memorabile. Etenim Philistus Syracusanus, de quo quaestio erit, sive vitam eius sive scripta contemplamur, tanta admiratione quanto contemptu dignum se praestitit: vir summo loco natus, ingenii pariter ac fortunae opibus instructus, re militari strenuus, praestans civilibus artibus, idem per totam vitam tyrannidi asperrimae non solum operam dicavit, sed cum ad historiam scribendam se contulisset improbitate ea fecit, ut non veros tyrannorum mores descripserit, sed vitia occultaverit, laudes in maius extulerit. — Attamen praestat omissa morum consideratione ipsius scriptis aliorumque iudiciis examinandis quid in historia valuerit enucleare: quod cum intelligamus et ipsi ad solvendam hanc disceptationem accedere audeamus opus suscipimus non minus difficile illud quidem quam utile atque adeo necessarium.

Iam enim Graecorum natio quas res gesserit quaeque inde redundaverint ad promovendum totius antiquitatis humanum civilemque cultum cum insignis sit quaestio et digna quae a viris doctis etiam atque etiam moveatur, lugendum est non ad omnes aeque et temporum et locorum partes spectare historica veterum opera: ut per acerrimas saepe difficultates vera cogamur expedire earum historiae partium, in quibus neque a locupletibus testibus adiuvamur et posterorum narrationibus saepe falsis sive falso iudicio aut consilio non recte relatis in errorem inducimur.

Itaque non minimo afficimur luctu quod de rebus Siculis, quippe quae suum habeant momentum ad rerum a veteribus Graecis gestarum decursum, nihil ad nos pervenit integrum documentum nisi quae duobus saeculis postquam Siculi sui iuris esse desierunt ex veterum narra-

1

tionibus sunt collata. Praebent enim res veteres Siciliae tres quasdam tempestates, quarum prima inde ab antiquissimis temporibus usque ad Graecorum in insulam demigrationem pertinet, altera civitatum Graecarum incremento, flore, interitu est insignis, tertia iis rebus continetur quae a Romanis in Sicilia postquam capta est gestae sunt. Quarum prima non habet quod pro consuetudine aliorum temporum quae historia nondum satis explanari potuerint insigne videatur esse, tertia tantopere spectat ad historiam Romanam ut de propria Siculorum conditione paene supersedeamus quaerere: unde eo acrius ut contemplemur secundam illam aetatem incitamur. Ea enim perfectum est ut Siculi et omnium quidem principes Syracusani prohibuerint orbis terrarum per Carthaginienses expugnationem: id quod factum non esset nisi aut totius populi vires in miram quandam alacritatem bellicamque virtutem convaluissent aut ducum praestantia par fuisset propulsandis tantis periculis. Nec vero populorum apud Siculos vis et potentia tanti umquam fuit quin intestinis discordiis sedatis etiam externis hostibus acriter restitissent: quo evenit ut quaecumque egregie terra marique a Siculis gesta sunt singulorum magis ingenio quam civium virtuti fuerint attribuenda. Nam florentissima Syracusarum tempora regnantibus Gelone et Hierone tyrannis fuerunt, Atheniensium deinde adversus eandem civitatem expeditio a. 413 per unum Gylippum Spartiatam ad irritum cecidit, Dionysius denique tyrannus Poenorum invasiones non semel susceptas sua fortitudine omnes repressit. Cuius aequalis fuit Philistus vir quamvis propter ninium tyrannorum studium vituperandus, scriptor tamen egregius et dignus a veteribus habitus qui vel soli Thucydidi compararetur.

Atqui non eadem quae veteribus fuit iudicandi de Philisto facultas nobis datur; nam scripta eius cum discesseris a fragmentis admodum exilibus deperierunt nec minus quae posteri scriptores de eo tradiderunt non omnino videntur probanda, sicut Plutarchus et Diodorus, unde pleraque haurire cogimur, parum accurate in explorandis fontibus suis versati sunt. Viam igitur qua certum quoddam de historico nostro iudicium et indagemus et elaboremus, tamquam per ambages eam ingrediamur necesse est, ut fontium auctoritatem denuo examinemus, diversitatem ad vetustissima quaeque testimonia exigamus, rationem inde de quaestionibus nostris eam reddamus, in qua nemo porro de praeclarissimo Siculorum scriptore lucem desideret. —

De vita et scriptis Philisti cum iis quae Suidas tradidit non facile fides possit haberi, quoniam neque ex illius reliquiis possunt intelligi et omnium scriptorum qui eius mentionem fecerunt auctoritati repugnant, colligenda nobis sunt alia antiquitatis documenta quorum et Graeci et Romani non exiguum praebent numerum. Qua quidem in re non minime adiuvamur etiam qui nostra aetate floruerunt doctorum virorum commentationibus, quarum palmam ferre videtur Francisci Goelleri „de Philisti vita et scriptis“ quaestio,*) cum ne Sevini**) quidem et Creuzeri***) de ea re disquisitiones suis virtutibus careant.

Suidas vero quod memoriae prodidit adeo turbatum est, ut ne de nomine quidem ac patria Philisti certum quiddam tradiderit. Duabus enim particulis verba faciens de his rebus priore *Φιλίσκον* vel *Φίλιστον* memorat Syracusanum, altera de solo quidem Philisto exponit, in dubium autem vocat sitne Syracusanus an Naucratites, Siculus an Aegyptius.†) Unde vera falsis confusa a Suida esse satis apparet, id quod magis etiam confirmatur iis quae de scriptis Philisti adiecit. Ac de hac quidem re suo loco agemus; nunc vero sufficiat omisso Suidae errore melioris aetatis scriptores inspicere.

Ac nostro illi Sicularum rerum scriptori ab omnibus qui eum noverunt unum nomen Philisto tribuitur. Patria Syracusis (Plut. v. Nic. 19: *Φίλιστος ἀνὴρ Συρακούσιος*), patre Archomenide (Paus. V., 23: *Φίλιστος ὁ Ἀρχομενίδου*)††) usus est. Errat igitur Suidas qui Archonidem patrem Philisti fuisse tradidit, dummodo et quanta Pausaniae fuerit in rebus enarrandis cura ac diligentia et quam facile mendum illud scripturae indiligentia committi potuerit respiciamus. — Philistus autem quo sit anno natus a veteribus non traditur; sed ex

*) Inserta est libro qui inscriptus est „De situ et origine Syracusarum.“ Lips. MDCCCXVIII.

**) „Recherche sur la vie et les écrits de Philiste“ in „Mémoires de l'académie des inscriptions“ tom. XIII p. 1 sqq.

***) „Wiener Jahrbücher“ tom. CVII p. 187 sqq.

†) *Φιλίσκος ἢ Φίλιστος Συρακούσιος*· et paullo post: *Φίλιστος Ναυκρατίτης ἢ Συρακούσιος, Ἀρχωνίδου υἱός*. Suidas.

††) Mendose apud Goellerum l. mem. p. 104 et Mülleros (Fragm. hist. Graec. I p. XLV) Archimenides legitur.

loco Plutarcheo*) quo rerum a Gylippo adversus Athenienses gestarum mentio fit iisque interfuisse ille dicitur, Ol. 86 vel 87, id est intra annos a. C. 436 et 429 in lucem eum editum esse colligitur**). Nam cum reputaveris anno quo mortuus est (356) senilem eum aetatem egisse, Dionysio vero priore fuisse seniorem — dicitur enim mater eius familiariter cum Philisto versata esse***) — non est cur aliud tempus effingamus; enimvero a. 406, quo illum libero arbitrio rem suam familiarem gubernare et coram populo verba facere coepisse accepimus****), consentaneum est plus quam viginti annos eum natum fuisse, cui quidem non repugnant quae supra diximus.

De pueritia historici nostri deficit nos veterum scriptorum auctoritas, nisi quod Suidas Evenum Parium poetam elegiacum magistrum eius fuisse tradit†). Sed cum duo fuerint Eveni Parii, alter Socratis magister, Eratostheni alter aequalis††), conservato temporum ordine neutrum eius praeceptorem esse potuisse facile apparet†††). Immo vero nostro illi singularem quandam eruditionem obtigisse††††) non solum ideo nobis persuadere licet, quia in historia sribenda summam laudem sibi collegit, sed etiam bonis atque opulentis parentibus natus esse putandus est. Quo enim tempore primum inter cives excellens extitit divitiis

---

*) Nic. 19: *Κἀκείνου* (sc. *Γυλίππου*) *τὸ πᾶν ἔργον γεγονέναι φησὶ* .... *Φίλιστος τῶν πραγμάτων ὁρατὴς γενόμενος.*

**) Facio cum Goellero. Todt in dissertat.: „Dionysius I. von Syracus" Trept. 1860 ex loco Diod. Sic. XIII, 91, quem mox attingam, Philistum sub finem a. 406 duodetricesimum annum egisse cogit; quo iure, non intelligo. Cf. Aem. Voelkerlingii: „De rebus Siculis ab Atheniensium expeditione etc." dissertationem, Vratisl. 1868 p. 4.

***) Plut. Di. 11: *Ἦν δὲ λόγος ὡς καὶ τῇ μητρὶ πλησιάζοι τοῦ πρεσβυτέρου Διονυσίου, τοῦ τυράννου μὴ παντάπασιν ἀγνοοῦντος.* Neque aliter Joann. Tzetz. Chil. X. h. 358 v. 832.

****) Diod. XIII, 91. Cf. ea quae in contextu paullo inde secuntur.

†) Pergit Suidas: *Μαθητὴς δὲ ἦν Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ.*

††) Goellerus p. 118.

†††) Ne Isocratis quidem discipulus fuit Philistus quod vult Sevinus p. 2 sqq. et Cicero probare multis visus est de or. II, 23, 94: quo loco non Philistum, sed Philiscum legendum esse optime demonstravit Goellerus p. 108 sqq. Ceterum extat locus Ciceronianus (de or. II, 13, 57) quo liquide ille a grege Isocrateorum discernitur. — De Philisco infra.

††††) Plut. Di. 11 Philistum dicit *ἄνδρα πεπαιδευμένον περὶ λόγους.*

floruit et Dionysii Maioris, qui adolescens summa ambitione ductus primum in civitate locum affectabat, consilia et contentiones maxime adiuvit. De quo narrat Diodorus (XIII, 91) in Agrigenti obsidione Syracusanos cum oppidanis auxilia contra Poenos mitterent duce Hermocrate viro nobili aliisque qui ab eius partibus stabant nihil prorsus profecisse (a. 406). Itaque urbe capta Dionysius homo de plebe cum duces proditionis accusasset postulavit ut continuo poena afficerentur.*) Iam vero cum magistratus eum ut qui tumultum iniceret civitati multa legitima afficerent, Philistus noster pecuniam pro illo solvit**) et provocavit amicum ut ne porro quidem libere loqui dubitaret; se semper poenas pro eo esse soluturum, quamvis per diem integrum suppliciis eum multarent. Quibus subsidiis fretus Dionysius in dies maiorem potentiam sibi arrogavit, denique summum imperium et tyrannidem est consecutus. Philistus vero cum prius illius fautor extitisset postea non desiit pristinam familiaritatem, immo consiliorum tyranni socium et adiutorem atque adeo eius adulatorem se praebuit. In quo ne quis miretur quod non aegre tulerit nimiam amici minoris aetate potentiam atque superbiam, praesertim cum ei opibus egregie instructo necessitas non fuerit sui apud tyrannum insinuandi et ipse animi praestantia ac rerum civilium et bellicarum peritia floruerit.***) Iam enim quamquam in dubio relinquimus num scriptor sincero amore tyrannum amplexus sit, cuius imperium fuit difficile et crudele, mores morosi et suspiciosi, tamen sine dubio rei publicae quam post Gelonem et Hieronem florentissima in civitate regnantes e pristino statu delapsam et factionum studiis paene erutam videbat, eam administrationem quam maxime expetivit qua unus vir rerum potitus domesticas discordias sedaret et anticum patriae florem restitueret. Fortasse alia quoque contentionum harum fuit causa. Intima coniunctus erat familiaritate cum matre Dionysii;†) captus igitur illecebris muliebribus etiam filio indulsit et familiae, ut ita dicam, vinculo obligatus pro tyranno pecuniam et animum profudit. Praeterea Suidas eum cognatum

---

*) De quibus egregie disseruit Voelkerlingius diss. mem. p. 82.
**) Diod. XIII, 91.
***) Quod infra probabo.
†) Plut. Di. 11, quem locum excripsi p. 4.

fuisse Dionysio refert*): cui si fidem tribuimus non est dubium quin ille, qua erant apud Graecos propinqui atque affines studiorum et consiliorum consortione connexi, pietate quadam obstrictus fuerit ad sustentandam eius potentiam qui summum ex illis locum sibi sumpserat.

Ita factum est ut Philistus in amicissimorum tyranni numero perpetuo versaretur (Corn. Nep. Dio. c. 3: „Philistum historicum hominem amicum non magis tyranno quam tyrannis"). Dionysius enim cum civibus suis non posset fidere, concilium amicorum semper sibi affixum habebat qui in rerum angustiis de ipsius salute discrimen inirent. Ac scriptum videmus apud Diodorum proelio ad Gelam improspere commisso cum ambigeret tyrannus magisne conduceret Siculis contra Poenos porro cum mercenariis suis adesse an domum redire, ne deficerent se absente cives, concilio amicorum celeriter convocato**) placuisse statim recedere Gela. Quorum in numero fuisse Philistum apparet ex alio Diodori loco (XIV, 8), ubi Syracusanorum defectione quantas in angustias tyrannus redactus sit describitur. Dionysium igitur abiecta opprimendae seditionis spe convocatos familiares consuluisse quo tandem mortis genere de vita decessurus esset, modo ne nimis turpia extrema tyrannidis tempora viderentur. Atque cum alii aliud ei suasissent, ex iis Polyxenus tyranni affinis, ut velocissimo equo conscenso in Carthaginiensium fines confugeret, Philistus „te decet" inquit „non citato equo ex dominatu avolare, sed vel cruribus tractum reniti." Sed altera quoque de eodem fere responso narratio invenitur apud Diodorum,***) ubi Megacles tyranni affinis dixisse fertur illi qui tyrannide exuatur sic abeundum esse, ut crure trahatur, non ut sua sponte discedat.†) Unde Diodorum duobus e fontibus rem narratam excripsisse liquet ita quidem ut priorem narrationem ex Timaeo, al-

*) Particula priore: *Φίλιστος Συρακούσιος· ἦν δὲ συγγενὴς Διονυσίου τοῦ τυράννου Σικελίας.*

**) XIII, 111: *Μετὰ δὲ ταῦτα τῶν φίλων συναγαγὼν συνέδριον ἐβουλεύετο περὶ τοῦ πολέμου κτλ.* Cf. Voelkerlingii diss. p. 97.

***) XX, 78: *Ὅτι δεῖ τὸν ἐκ τυραννίδος ἐκπίπτοντα τοῦ σκέλους ἑλκόμενον ἀπιέναι καὶ μὴ κατὰ προαίρεσιν ἀπαλλάττεσθαι.*

†) „Quin ipsi tyranno illud dictum tribuit Livius XXIV, 22," inquit Goellerus, quem plura his de rebus disserere reperies in libro mem. p. 123.

teram ex Ephoro petiverit.*) Uterque vero Philisto usus est auctore, hic quidem omni studio enixus ut vera traderet, nimia saepe cum negligentia veri, ubi conviciandi Philisto facultas esset, Timaeus.**) Ceterum Ephorum in re narrata maiorem auctoritatem habere docet Plutarchus***) qui disserens de obitu Philisti dictum illud iniuria huic tributum esse a Timaeo tradit: ab alio quidem lenuntiatum illud esse, a Philisto vero perlatum ad tyrannum.

Ac re vera artam familiaritatem intercessisse inter Dionysium et scriptorem nostrum inde apparet quod in summo dignitatis militaris gradu tyrannus eum collocavit atque arcis praesidium ei commendavit. Ac sic quidem Plutarchus;†) Diodorus††) vero summa eum fortitudine insignem fuisse et multa magnaque commoda in bellis Dionysio attulisse memoriae prodit.

Neque eo setius qua erat ingenii inconstantia et iniquitate tyrannus pro beneficiis eam denique illi gratiam retulit ut exilio eum multaret. Quod qua de causa commiserit discrepant inter se sriptores Plutarchus et Diodorus. Ignaro enim tyranno Philistum filiam Leptinae in matrimonium duxisse ideoque e Sicilia eiectum Adriam in urbem ad Padi ostium sitam profugisse neque reducem prius factum esse Plutarchus auctor est†††) quam mortuo Dionysio Maiore filii, qui eum sequebatur, satellites odio et invidia adversus Platonem, qui tum Syra-

---

*) Timaeum prioris narrationis esse fontem probat Plutarchus Di. 35, quo de loco hac in pagino agitur. Sunt qui Timaeum unum de rebus Siculis a Diodoro adhibitum esse contendant, imprimis Volquardsenus in: „Untersuchungen über die Quellen der griechischen und sicilischen Geschichten bei Diodor, Buch XI bis XVI," Kielae 1868 cap. 10 p. 80 sqq., tamen veri simile non est illum qui satis morosus fuit in enarrandis nugis secum ipsum discrepuisse. Ephori vero qui copiose de rebus Siculis egit toties apud Diodorum mentio fit, ut dubitari non liceat quin alter eius auctor fuerit. —

**). Plut. Nic. 1: (*Τίμαιος*) *ἐλπίσας τὸν Φίλιστον ἀποδείξειν παντάπασι φορτικὸν καὶ ἰδιώτην κτλ.*

***) Di. 35.

†) Di. 11: *Φίλιστος ἐξ ἀρχῆς τῇ τυραννίδι καθισταμένῃ προθυμότατον ἑαυτὸν παρέσχε καὶ τὴν ἄκραν διεφύλαξε φρουραρχῶν ἐπὶ πολὺν χρόνον.*

††) XV, 7: *Φίλιστος καὶ Λεπτίνης ὁ ἀδελφὸς* (scil. *Διονυσίου*)· *ἄνδρες διαφέροντες ἀνδρείᾳ καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας ἐν τοῖς πολέμοις αὐτῷ παρεσχημένοι.*

†††) Di. 11.

cusis moraretur, ducti ad resolvendam illius poenam dominum permovissent. Sperasse enim hos sibi illum magis idoneum tyrannidisque pertinacem fautorem fore. — Adicere licet his exilii causam non tam matrimonium illud fuisse quam metum tyranni, ne coniuncti Leptines frater et Philistus, quorum uterque opibus et virtute excellebat, periculum dominatui suo inferrent. Atque idem fere de reditu scriptoris Cornelius Nepos*) testatur.

Aliter de hac re exponit Diodorus.**) Qui Dionysium dicit propter poematum suorum quae in panegyri Olympiaca pronuntianda curaverat derisum tanta dementia esse obtusum ut in omnes amicos invidere sibi eos ratus suspiciosus esset ut qui insidias sibi pararent. Unde falsis criminibus plerosque ab eo interfectos, non paucos in exilium esse missos in eorumque fuisse numero etiam Philistum et Leptinem fratrem. Atque hos Thurios in Italiae urbem confugisse et apud Italos magnifice exceptos esse; deinde cum tyranno haud invito in gratiam redisse et cum Syracusas revertissent in pristinum benevolentiae locum esse restitutos.

Iam difficile est diiudicare utrum Plutarcho qui quae tradit e Timonide Dionis familiari ac comite hausisse fatetur, an Diodoro plus fidei tribuamus qui fonte usus est Timaeo scriptore diligente***) ac docto. Ac fuerunt qui bis Philistum in exilio versatum esse inde concluderent†): adeo ut Dionysius revocasse quidem eum Thuriis inque pristinum locum restituisse, sed cum admodum et huius et Leptinae potentia augeretur, denuo de civititate eiecisse putandus esset. Immo vero Plutarchi narratio non est reicienda, cui cum Nepos testis non ex Pausaniae aliquo loco colligenda sunt spernendus adstipulatur tum quae,

---

*) Di. 3: Cum Dion non desisteret obsecrare Dionysium (sc. Minorem) ut Platonem Athenis arcesseret et eius consiliis uteretur, ille morem ei gessit. Eodemque tempore Philistum historicum Syracusas reduxit.

**) XV, 7.

***) Huic sententiae repugnare videtur quod p. 7 de Timaei fide contendi. Sed si rem omnem spectas veritati etiam ille studuit, modo quae vituperanda in Philisto erant in falsum auxit.

†) Ita Prellerus in: „Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste, herausgegeben von Ersch und Gruber.“ Sect. III part. 20 sub tit.: „Philistos.“

scilicet in exilio maximam historiae partem ab eo compositam esse, non repugnant*). Neque igitur facimus cum iis qui illum bis in exilium missum esse putant; deficit enim omnino eam sententiam veterum auctoritas. Rursus ne Diodorum quidem cum Goellero**) et Müllero***) prorsus falso rem enarrasse contendere ausim, atqui aliquantum Timaeus videtur errasse quem Diodorus secutus est. Illum enim in Philisti libris historicis quos ante oculos habuit et excripsit veri simile est nihil reperisse de causa exactionis†) neque igitur dubitavit quin posita fuerit in Dionysii propter exsibilata poemata vesania, quae fabella satis vulgata tum videtur fuisse eique eo libentius fidem habuit, quo magis perversitatem tyranni morum depingere studuit. Certe Philistus una cum Leptine patria est eiectus, hic autem paullo post revocatus sine illo. Constat enim tyranni fratrem imperio adversus Carthaginienses indutum in proelio ad Cronion a. 383 commisso cecidisse.††) Timaeus igitur nescius quo tempore Philistus in patriam redierit una cum Leptine eum facit reducem, qui error in Diodori narrationem transiit. — Sed Plutarchus quoque indiligens in eo fuit quod illum solum narravit fugisse et statim Adriam: omnis denique quaestio ita est solvenda, ut Philistus revocato Syracusas Leptine Adriam se contulisse, ibi in historia scribenda exsudasse, post obitum autem Dionysii Maioris domum redisse existimetur.

Annus quo Philistus in exilium abiit secundum Diodorum tertius est olympiadis IIC, a. C. 386; itaque si pro certo putamus anno quo Dionysius Maior diem obiit (368) revertisse eum, prope quattuor per lustra otio extra patriam fruitus est. Cuius memoriam per longinquum tempus servabant Fossae Philisteae quas praeter Adriam percussit ad committendum Pado mare Adriaticum.†††) Atque in hoc solo simili

*) I, 13, 9: *Ἀνδρὶ γὰρ βασιλεῖ συνόντα ἀνάγκη πᾶσα ἐς χάριν συγγράφειν· εἰ δὲ καὶ Φίλιστος αἰτίαν δικαίαν εἴληφεν, ἐπελπίζων τὴν ἐν Συρακούσαις κάθοδον, ἀποκρύψασθαι τῶν Διονυσίου τὰ ἀνοσιώτατα κτλ.*

**) p. 119 sqq.

***) Praefat. p. XLVII a Carolo Müllero conscriptae.

†) Historiam Philistus ea mente scripsit, ut revertendi veniam impetraret (cf. Pausaniae locum supra exscriptum). Omittere igitur in illa debebat quaecumque pungere poterant tyrannum.

††) Diod. XV, 16.

†††) Cf. Mommseni Hist. Rom. I p. 326.

Thucydidis, quod exemplum sibi in scribendo proposuerat, exilio usus est, quod in otium non voluntarium compulsus libros qui dicuntur ab Urbe condita composuit; ceterum indigne et impatienter se gessit. Proinde Plutarchus respiciens aliquem in libris Philisteis locum ineptam dicit orationis contentionem qua conditionem filiarum Leptinae secum expulsarum describit, ut quae ex sumptu et magnificentia aulae tyrannicae ad miserrimam inopiam sint redactae.*) Huc etiam alia veterum scriptorum iudicia spectant de quibus uberius agemus ubi de scribendi eius genere quaestio erit. —

Dionysius Minor cum post mortem patris ad tyrannidem accessisset auram popularem captans in patriam restituit Philistum, non tamen, ut scribit Plutarchus, perductus ab inimicis Dionis,**) qui tum in administranda republica plurimum pollebat, concupiscentibus ut contra hunc ille niteretur et studia libertatis coerceret. Nam Philistum illico post mortem Dionysii prioris revocatum esse et antequam funus eius exsequiis celebraretur et ante Platonis in Sicilia adventum colligimus cum Grotio ex fragmento Philisteo 42,***) ubi Plutarchus Pelopidae pompam funebrem confert cum Dionysii Philistumque narrat „splendorem ebore auro purpura messum decantasse et stupuisse tyranni sepulturam, sicut magnae tragoediae theatrale exodium.“ Unde historicum nostrum consentaneum est spectatorem fuisse pompae illius, Plutarchum autem in errorem inductum esse a Timonide, qui cum a partibus Dionis staret et acerrimum tyranni et Philisti adversarium se praeberet, facile propter invidiam Dionis hunc adiutorem contra illum accitum esse mentiretur. Denique cum constet tunc temporis Dionysium prorsus in Dionis arbitrium devenisse, „ut huic uni maxime in-

---

*) Timol. 15: Ὥστε μοι παραβάλλοντι τὰς Φιλίστου φωνάς, ας ἀφίησι περὶ τῶν Λεπτίνου θυγατέρων ὀλοφυρόμενος, ὡς ἐκ μεγάλων ἀγαθῶν τῶν τῆς τυραννίδος εἰς ταπεινὴν ἀφιγμένων δίαιταν φαίνεσθαι θρήνους γυναικὸς ἀλαβάστρους καὶ πορφύρας καὶ χρυσίας ποθούσης.

**) Di. 11: Κατήγαγεν αὐτὸν ὁ πρὸς Δίωνα τῶν ἄλλων φθόνος ὡς αὐτοῖς τε μᾶλλον ἐπιτήδειον ὄντα καὶ τῇ τυραννίδι βεβαιότερον.

***) Plut Pelop. 34: Ἐκείνων δὲ τῶν ταφῶν (pompae funebris Pelopidae) οὐ δοκοῦσιν ἕτεραι λαμπρότεραι γενέσθαι, τοῖς τὸ λαμπρὸν οὐκ ἐν ἐλέφαντι καὶ χρυσῷ καὶ πορφύραις εἶναι νομίζουσιν, ὥσπερ Φίλιστος ὑμνῶν καὶ θαυμάζων τὴν Διονυσίου ταφήν, οἷον τραγῳδίας μεγάλης, τῆς τυραννίδος ἐξόδιον θεατρικὸν γενομένην.

dulgeret neque eum secus diligeret ac filium,"*) porro Platonem post Philisti restitutionem Syracusas arcessitum esse, quod Plutarchus memoriae prodit**), dubium non est quin tyrannus liberalitate quadam motus Philistum revocaverit neque alterum ullum in ea re consilium inierit.

In patriam igitur reversus Philistus cum tyrannidis propugnatorem se gerere non desisteret, quoniam Dionysium Dionis et Platonis consiliis regi videbat qui ei persuadebant ut tyrannidi finem faceret libertatemque redderet Syracusanis, in eo primum sibi elaborandum esse intellexit ut averteret tyrannum ab eiusmodi studiis quae minime conducere reipublicae posse potaret***). Ac facile contigit ei quod sibi proposuerat neque invitus tyrannus a parce et strenue vivendi ratione quam Plato praescribebat adducebatur ad luxuriam tyrannicamque libidinem. Quo factum est ut in dies plus auctoritate valeret Philistus, tyrannus vero in dies maiore Dionis invidia premeretur. Cuius cum aliquando literae ad Dionysium essent perlatae quibus praedictum erat Carthaginiensibus, si ipso uterentur in agendo de pacis condicionibus, optime rem evasuram esse, tyrannus auctore Philisto, cui legerat epistolam, amandavit Dionem†). Item vel Plato quamvis etiam postea caritatem et liberalitatem tyranni expertus, cum bellum aliquod Syracusanis immineret, precibus eius commotus rediit in Graeciam††), scilicet postquam convenit ei cum Dionysio ut et ipse pace restituta reverteretur et Dio revocaretur†††). Defensores igitur tyrannidis in quibus Philistus longe aliis excellebat, rempublicam recuperaverunt et

---

*) Verba sunt Cornelii Nepotis Di. c. 2.

**) Vitae Dionis capite 11 de Philisti, cap. 13 de Platonis adventu agitur. — Nepos ambos eodem tempore accitos esse dicit Di. c. 3.

***) Iam quid de optima reipublicae disciplina senserit luculenter illustratur narratiuncula quam Plutarchus (Di. 13) memoriae prodidit. Qua narratur vehementi Philistum ira commotum esse, cum tyrannus aliquando in sacris publicis noluisset invocari deos ut in longinquum tempus tyrannidem sustentarent.

†) Plut. Di. 13.

††) Plato Epist. (subditit.) p. 671 criminationibus Philisti se exactum esse scribit (*ἄδην γὰρ διεβλήθην ὑπὸ Φιλίστου*) quam pro *Φιλιστίδου* lectionem cum Sevino (p. 8) recipio.

†††) Plut. Dio. 19. De iis quae in contextu exponuntur cf. Plut. V. Dion. 26. Diod. XIV., 10. XVI, 5.

et qua consuerant licentia civibus imperare coeperunt. Ac tum quidem Plato magis precibus Dionis et Archytae philosophi quam studio erga tyrannum compulsus iterum Syracusas se contulit summisque honoribus a Dionysio cumulatus, civium autem ea exspectatione receptus est, ut Plato Philisto, tyrannide philosophia superior foret. Nec contigit philosopho id quod spectaverat; nam tum quoque Dionysius pertinaciter recusavit ne Dionis reditum precibus eius concederet. Quin etiam cum ille non desineret commonere eum de revocando amico vendidit Dionis rem familiarem et pecunias pro ea solutas ipse sustulit, philosophi vero dignitatem adeo deminuit, ut hic quam celerrime Syracusis elaberetur (a. 360). Ex quo tempore Dio toto animo cogitavit de debellanda tyrannide restituendaque patriae libertate, Dionysius in dies segnius officiis suis functus luxuriae et libidinibus totum se dedit, Philistus vir praestantissimus eorum qui tyrannidem tuebantur praefuit reipublicae administrandae iisdem atque antea consiliis, pari strenuitate usus, ut liberi animorum motus omni vi comprimerentur et cives partim ad vile servitium redigerentur partim praefervido libertatis desiderio exardescerent.

Is fuit rerum status cum Dio in Siciliam appulit et laetissimis omnium acclamationibus exceptus est (a. 357). Dionysius eo tempore cum octoginta navium classi in Italiae oris morabatur, Philistus et ipse egregiis opibus navalibus instructus in sinu Tarentino expectabat Dionem, quem sagacius quam felicius oram Italicam lecturum esse suspicabatur; utrumque fefellit Dio qui secunda tempestate fretus directo cursu oram Siciliae ad meridiem spectantem petivit. Appulsus igitur hic prope Agrigentum subsidiisque undique firmatus quam celerrime Syracusas processit et sine certamine urbe est potitus. Quare tyrannus cum omnia praeter Ortygiam castellum amisisset statim eo se contulit neque tamen proelio superior discessit*). Paullo post etiam Philistus cum classe et speciosa equitum turma Rhegio ad eum advenit; sed ne conjunctis quidem copiis contra Syracusanos profecerunt quicquam. Itaque Philistus impetum suum direxit adversus Leontinos qui tyrannide se disiunxerant: atque iam introierat urbem noctu, cum eius defensores acriter ei resistunt et recentibus copiis Syracusanorum fir-

*) Plut. Di. 13. Diod. XVI, 12, 13.

mati oppido hostes exturbant. Deinde a Dionysio omnium copiarum navalium summus praetor creatus rem gessit adversus Heraclidem, qui expulsus a tyranno et tunc demum in patriam reversus acerbissimo odio in Philistum furebat. In discrimen denique progressi anno postero (356) navali proelio certaverunt opibus utrimque non exiguis; nam Philistus triremibus sexaginta congressus est cum Syracusanis navium numero ei pares. Ac primo quidem virtute praevalebat, sed ab hostibus tandem circumventus est proelioque victus occidit*). Sed de mortis genere discrepant inter se Diodorus et Plutarchus**). Ille enim cum capta eius navis esset ut vitaret quae in captivos committi solebant probra et cruciatus sibi ipsum manus intulisse Philistum, deinde Syracusanos corpus eius dilaceratum per totam urbem traxisse et inhumatum denique eiecisse tradit. Quem autem fontem sequeretur Diodorus non addidit; Plutarchus primum Ephorum memorat ex quo nihil promit nisi voluntaria morte Philistum interisse, deinde Timonidem, cui cum Dionis comes rebus interfuerit maiorem habet fidem. Secundum autem hunc Syracusanos cum vivum cepissent Philistum exuta lorica nudum eius corpus publice expositum omnium ludibrio et contumeliae dedisse; deinde caput ei decidisse liberisque tradidisse corpus, quod per Acradinam traherent inque latomias iacerent. Denique Timaei mentionem facit Plutarchus, in quo non mortis genus respicit, sed narrationem illius, Philisti corpus mortuum etiam maiore contumelia affectum esse commemorat. Liberos enim claudo pede eius corpus per urbem traxisse idque fuisse ludibrio Syracusanis, quod eundem virum crure per urbem trahi viderent qui olim Dionysio suasisset „ut ne citato equo e dominatu avolaret, sed vel cruribus tractus reniteretur."

Anquirentes quid veri insit in diversis his nuntiis non assentimur Grotio***) qui nec secutus alterumutrum nec ullo aliorum auctorum testimonio allato colligit illum capta nave sua mortem quidem sibi conscisse, vulnus tamen non mortiferum sibi intulisse, denique ab hostibus necatum et ignominia obrutum esse. Ac Müllerus quidem

---

*) Suidas: (Φίλτος) ἐν τῇ πρὸς Καρχηδονίους ναυμαχίᾳ ἐτελεύτησεν Quale mendum turpissime commissum non est cur refutetur.

**) Diod. XVI, 16. Plut. Di. 35.

***) Hist. Graec. vert. Meissnerus t. VI p. 82.

ea quae Diodorus tradit magis in honorem Philisti quam ex veritate adornata esse censet non satis indagato, ut nobis videtur, Diodori fonte, qui Timaeus fuit acerrimus illius adversarius. Etenim Ephori historias in enarrando eius obitu Diodorus non est secutus quia iste teste Plutarcho de probris corpori mortui affectis nihil commemorat: Timaeus vero vivumne Philistum an iam propria manu interfectum hostium in potestatem venientem faciat non dignoscitur; attamen qua erat morum firmitate eum prius honestam mortem petivisse quam certas Syracusanorum contumelias exspectasse quivis facile sibi persuadebit. Timonides vero qui ad debellandam tyrannidem se adiunxerat Dioni quantum potuit inhonestam Philisti mortem depingere studuit, neque aliud Timaeus, qui ne in altius quidem eius contumelias extollere dubitavit. Itaque nobis Diodori potissimum narratio probanda videtur quae neque iis quae Ephorus neque quae Timodides et Timaeus tradiderint repugnet et careat ira atque obtrectatione. — Mortem obiit Philistus a. 357 aetate gravis*), et una cum eo tyrannis est confecta cuius aptissimus, strenuissimus, fidelissimus propugnator fuerat et defensor.

De scriptis Philisti non iam discrepant inter se virorum doctorum opiniones. Ubi id primum fuit enucleandum qui factum sit ut Suidas**) catalogum eorum protulerit miro quodam modo perfusum rebus falsis et absurdis. Ac diversorum inter se hominum scripta a Suida commixta

*) Plut. Di. 35.

**) Iuvat hoc loco verbis Suidae ipsis uti:

Φιλίσκος ἢ Φίλιστος Συρακούσιος· ἦν δὲ συγγενὴς Διονυσίου τοῦ τυράννου Σικελίας, καὶ ἐν τῇ πρὸς Καρχηδονίους ναυμαχίᾳ ἐτελεύτησε. μαθητὴς δὲ ἦν Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ. ἔγραψε Σικελικά. ἔστι δὲ τὰ πρὸς Ἕλληνας αὐτοῖς πραχθέντα διαφόρως. καὶ Γενεαλογίαν. περὶ Φοινίκης. καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς νήσου Σικελίας.

Φίλιστος Ναυκρατίτης ἢ Συρακούσιος; Ἀρχωνίδου υἱός. μαθητὴς δὲ ἦν Εὐήνου τοῦ ἐλεγειοποιοῦ ὃς πρῶτος κατὰ ῥητορικὴν τέχνην ἱστορίαν ἔγραψε. συνέταξε δὲ τέχνην Ῥητορικήν, Αἰγυπτιακὰ ἐν βιβλιοις ιβ', Σικελικὰ ἐν βιβλίοις ια'. πρὸς τὸν Τρακάρανον, λόγον περὶ Ναυκράτεως, περὶ Διονυσίου τοῦ τυράννου βιβλία ς', περὶ τῆς Αἰγυπτίων θεολογίας βιβλία γ', Δημηγορίας. καὶ ἄλλα τινά. περὶ Λιβύης καὶ Συρίας.

esse inde apparet quod in reliquiis Philisteis nihil reperitur nisi quod ad res Siculas pertinet, ceterum quod a veteribus nihil praeter Siciliae et Dionysiorum historias attribuitur historico nostro. Soluta maxime a Goellero est quaestio quibus de causis lexicographus tanta nominum confusioni se implicuerit. Ac primum igitur non est mirandum quod Philisci nomen quanta erat negligentia saepius confuderit cum Philisti, praesertim cum non ita pauci fuerint Philisci; quorum quattuor a Suida ipso, plures etiam ab aliis recensentur, eorumque ad numerum Goellerus quattuor alios addidit adeo ut omnino tredecim apud hunc nostratem enumerentur*). Ex his a Suida memoratur Philiscus Milesius rhetor Isocratis discipulus qui scripsisse traditur et orationes et de arte dicendi libros quorum etiam τέχνη ῥητορικὴ ἐν βιβλίοις· β′ nominatur. Apparet quomodo Suidas erraverit: id quod Philisco soli assignare debebat etiam in Philisteorum scriptorum indicem recepit. Ita Δημηγορίαι quoque optime Philisco huic attribuuntur**). Operis autem περὶ Φοινίκης Philinum Agrigentinum auctorem fuisse Sevinus probavit***) eundem qui primi belli Punici historiam scripsit facillimeque cum Syracusano nostro confundi potuit; ceteri tamen Suidae tituli ad quosnam scriptores sint referendi nullo modo potest enucleari, nisi forte quis supicatur fuisse quendam historicum Naucratitam qui de rebus et institutis Aegyptiorum, Libyum, Syrorum compluribus libris exposuerit, cuius tamen nomen simile Philisto perierit.

Restant igitur scriptoris Syracusani qui sunt de rebus Siculis et de Dionysio tyranno libri; sed ne de horum quidem numero Suidae fides haberi potest. Diodorus†) enim annum scribit eum quo Agrigentum sit expugnatum (Ol. 93,3 = 405) finem effecisse primae rerum Sicularum a Philisto descriptarum partis septem libris plus octingentos annos complexae. Alteram vero a fine prioris incipi et per libros quattuor deduci. Usque tamen quem ad annum pars haec sit deducta e Diodoro non apparet, fragmentum vero 42 scriptoris nostri e libro undecimo petitum quod ad pompam funebrem Dionysii Maioris spectat edocet nos usque ad mortem huius tyranni alteram Philisti librorum

---

*) p. 112 — 117.

**) Cf. Goellerum p. 124, Ruhnkenium in Hist. crit. orat. Graec. p. LXXXIII.

***) L. m. p. 16.

†) XIII, 103.

partem pertinere. Denique Diodorus*) etiam tertiam commemorat; locutus enim de rebus a. 363 gestis „Philistus, inquit, historiam Dionysii iunioris, regni eius quinque annos libris duobus exsecutus, hic finit.“ — Non est cur Diodori verba in dubium vocemus, praesertim cum et fragmentum ad nos pervenerit ex tertio decimo Philisti libro sumptum et testimonium extet Diodori ab Athana eam historiae partem quam ille intactam reliquerit, scilicet septem annorum res usque ad Timoleontis adventum, libro uno comprehensam esse.**) Novit igitur Diodorus Philisti libros; Suidas autem quod historiae Siculae libros undecim enumerat Dionysiique tyranni sex, libros de Dionysio Maiore conscriptos bis videtur numerasse: priore quidem loco addidisse eos rerum Sicularum historiae neque segregasse altero a Dionysii Minoris rebus.***)

Quale vero singulorum librorum fuerit argumentum et quibus quisque finibus sit circumscriptus, quaestio est difficilior quam quae umquam firmis rationibus possit solvi. Quaecumque enim ex Philisti scriptis ad nos pervenerunt reliquiae sunt exiles atque obscurae quibus neque rerum continuatio neque genus scribendi aliquantisper eluceat. Immo vero non tanti esset accuratius quaerere de scriptis Philisti nisi a veteribus scriptoribus digna essent habita quorum indoles ac praestantia in iudicium ac disputationem vocaretur: quam ob rem studium nostrum in eo maxime videtur ponendum esse ut collatis veterum iudiciis ipsi quid sentiamus de historico Philisto in medio ponamus.

Sed primum quidem respiciamus reliquias si forte inde concludi aliquid possit de historiarum dispositione. Collegit illas Franciscus Goellerus,†) apud quem quadraginta quattuor reperiuntur fragmenta per

---

*) XV, 89.

**) Diod. XV, 94.

***) Dionys. Halic. bipartitam Philisti historiam memorat Ep. ad Gn. Pomp. 5: *Διήρηκε δἀὐτὴν* (sc. *Φίλιστος ὑπόθεσιν*) *εἰς ἐπιγραφὸς δύο, περὶ Σικελίας μὲν τὴν προτέραν ἐπιγράφων, περὶ Διονυσίου δὲ τὴν ὑστέραν.* Unde apparet aut exemplaris quod Dionysius inspexit priorem partem undecim, alteram duos libros complexam esse aut libros de Dionys. Min. ei non fuisse notos. – Item Cicero Ep. ad Q. fratr. II, 13: Utros eius (Philisti) habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque nescio. Me magis de Dionysio delectat.

†) De situ et origine Syracusarum p. 145 — 176. Excripsit fragmenta a

tredecim historici libros dispertita, deinde viginti quae incerta nominantur quippe quibus a veteribus certus in libris eius locus non sit tributus.

Primi libri sex fragmenta ad nos pervenerunt. Quorum primo adventus Daedali ad Cocalum regem Sicanorum memoratur, secundo de tempore quo prima in Siciliam migratio facta quaeque gens eo transvecta sit, tertio de Sicanorum disseritur adventu; quartum quintumque non praebet nisi oppidorum nomina, sexto Oebotam quendam Dymaeum in stadio victoriam reportasse refertur. Argumentum igitur huius libri constituentibus si sequi licet Goellorum, res Cocali a Philisto sunt narratae, deinde recensus actus est populorum qui antiquitus in Sicilia consederint. Omnino autem fabulosam insulae vetustatem descriptam (cf. fr. 1) et de origine gentium Sicularum (fr. 2 et 3) expositum esse facile conieceris. Verum nescio an Graecorum quoque invasiones sint tractatae; quod quamvis e propriis huius libri fragmentis non perspiciatur, probari censeo fr. 8 ad secundi libri initium spectante.*) Quo disseritur de Syracusanorum contra Camarinenses bello, gestum quod fuit Ol. 57, duobus fere saeculis post Naxum Syracusasque conditas.

Probabile est discrimen fecisse Philistum inter Sicanos et Siculos; nam fragmento secundo, quod Dionysius Halic. memoriae prodidit, verba facit hic de Siculo genere (*Σικελικὸν γένος*) quod Philistus narraverit traiecisse anno octogesimo ante bellum Troianum;**) gentem vero transvectam ex Italia nec Siculos nec Ausones fuisse nec Elymos verum Ligures duce Siculo: hoc enim regnante homines qui eius imperio parerent Siculos appellatos, expulsos autem suis agris esse Pelasgorum et Umbrorum iniuriis. — Tertio Philisti fragmento de Sicanis Diodorus haec scribit: „Philistus quidem,“ inquit, „eos ex Iberia coloniae deductione translatos insulam occupasse affirmat a Sicano Iberiae flumine quodam nomen illud sortitos. Sed Timaeus ignorantiam scriptoris huius refellens indigenas eos esse liquide ostendit,“ — Nihil huc

Goellero congesta unumque addidit (64) Carolus Müllerus in: Fragmenta historicorum Graecorum ed. Mülleri Tom. I p. 185—192.

*) Verba sunt (apud Dion. Hal. Ep. ad Pomp. 5): *οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς δευτέρας τῶν περὶ Σικελίας· Συρακούσιοι κτλ.*

**) Aliter Hellanicus, de quo videas fr. Phil. 2.

refert de Philisti ignorantia expostulare cum Timaeo tum maxime invecto in aliorum inscitiam cum ipse rei prorsus ignarus fuit. Sed plane abhorrent ea quae Philistus tradit a Thucydide.*) Sicanos enim hic ex Iberia quidem originem ducere et ibi secundum Sicanum flumen habitasse scribit, pulsos autem inde a Liguribus in Siciliam demigrasse et occidentalem eius partem occupasse. Deinde Siculos ait ex Italia in Siciliam traiecisse exturbatos ab Opicis. Itaque concordant inter se Philistus et Thucydides quod Siculos ex Italia, Sicanos ex Iberia migrationem fecisse tradunt; natione tamen illos fuisse Ligures itaque eodem in Italia consedisse Philistus tradit, a quibus Sicanos ex Iberia pulsos esse Thucydides auctor est. Quibus vero compulsi causis Sicani coloniam deduxerint in Siciliam nihil apparet ex Philisti reliquiis; Siculorum vero exactionem Pelasgis et Umbris Philistus, Liguribus Thucydides attribuit. Denique in dubio relinquitur num Philistus Sicanos ante Siculos in insulam advenisse scripserit id quod ex Thucydide apparet; quo hi vero tempore Siciliam occupaverint valde in diversum utriusque sententiae tendunt; nam octogesimo anno ante bellum Troianum Philistus, trecentis fere annis antequam Graeci in insula considere coeperint migrationem eorum fuisse Thuydides auctor est. — Longum est quaerere utri plus fidei sit habendum quidque veri, quid falsi insit in utriusque verbis;**) certe Thucydides neque poterat neque studebat accuratius sciscitari de origine Siculorum nisi quod redditurus erat ea quae Antiochus Syracusanus memoriae iam prodiderat;***) rursus Philistus cui institutum erat condere rerum Sicularum historiam maiorem quam Atheniensis scriptor diligentiam

---

*) Thuc. VI, 2: *Σικανοὶ δὲ . . . Ἴβηρες ὄντες καὶ ἀπὸ τοῦ Σικανοῦ ποταμοῦ τοῦ ἐν Ἰβηρίᾳ ὑπὸ Λιγύων ἀναστάντες. καὶ ἀπ' αὐτῶν Σικανία τότε ἡ νῆσος ἐκαλεῖτο· οἰκοῦσι δὲ ἔτι καὶ νῦν τὰ πρὸς ἑσπέραν τὴν Σικελίαν . . . Σικελοὶ δ' ἐξ Ἰταλίας διέβησαν ἐς Σικελίαν φεύγοντες Ὄπικας . . . . . ἔτη ἐγγὺς τριακόσια πρὶν Ἕλληνας ἐς Σικελίαν ἐλθεῖν.*

**) Nostrum fuit quaerere de origine Siciliensium quatenus id Philistihistoriae illustrandae conducere putavimus. Mea vero de hac re sententia valde discedit a Philistea. Sicanos et Siculos unum atque eundem populum fuisse credo (cum Isid. Origg. IX, 2, 85: „Sicani qui et Siculi cognominati sunt, iidem et Sicilienses") diversis autem migrationibus partes huius populi in Siciliam pervenisse.

***) Cf. Wölfflinum: „Antiochus von Syrakus und Coelius Antipater" p. 1 sqq. Tur. 1872.

in eiusmodi quaestiones debebat impendere, ideoque quin etiam probabiliora retulerit non est dubium.

Quae secuntur tria fragmenta (4—6) petita e Stephano Byzantio pariter ac triginta quinque ex reliquiis insequentibus cum nihil aliud notent nisi urbium, oppidulorum, castellorum, gentium nomina, neque omnino possit enucleari quid rationis habuerint cum historia a Philisto conscripta, sufficiat attigisse tantum ea quae provocant artem criticam. Atque illarum quidem reliquiarum exemplum hoc sit (4): *Μακτώριον πόλις Σικελίας. Φίλιστος πρώτῳ. Τὸ ἐθνικὸν Μακτωρῖνος.* — Adiecta sunt hoc loco formulae *Φίλιστος πρώτῳ* verba: *ἣν ἔκτισε μόνην.* Quae corrupta esse iam vidit Cluverius*) propterea quod apud Herodotum**) qui aetate superior fuit Philisto legitur Gelensium quosdam seditione pulsos in illud oppidum (quod prope Gelam situm est) confugisse: itaque a Philisto conditum Mactorium esse nequit. Conditoris autem nomen vel deest vel mendo latet in voce *Μόνην.* — Fr. 5 de Hyccaro oppidulo agitur in inferiore parte insulae prope Erctam montem sito, quod memorant etiam Thucydides (VI, 62), Diodorus (XIII, 6), Plutarchus (Nic. 15), alii neque tamen Hyccaro forma, sed Hyccaris plurali utuntur. — Fragmenti insequentis (6) diversae sunt lectiones. Ad vocem Dymam quae est urbs Achaiae nonnullos veterum scriptorum locos adiecit Stephanus atque postremum ex Philisti libro primo ut vulgo legitur: *ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος καθ' ἣν ὁ Βοιώτας ἐνίκα στάδιον.* Aliud scriptus liber Seguerianus exhibet: *ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος η Οἰβότας ἐνίκα στάδιον.* Sed licet hanc sive illam lectionem praeferamus, sane in utraque excidit gentile *Δυμαῖος* si modo Stephani consuetudinem in recensendis oppidis observamus. Berkelius***) ita constituenda esse verba suspicatur: *ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος η', καθ' ἣν ὁ Οἰβώτας Δυμαῖος ἐνίκα στάδιον*, qui tamen Olympiadis numerus non videtur probandus esse, quia Pausanias†) sexta, non octava Olympiade Oebotam vicisse refert. Utcumque autem res se habet, studuisse Philistum antiquissimas res ex Olympiadum

*) Sic. Ant. p. 363.

**) Hist. VII, 153: *Ἐς Μακτώριον πόλιν τὴν ὑπὲρ Γέλης οἰκημένην ἔφυγον ἄνδρες Γελῴων ἑσσωθέντες στάσι.*

***) Cf. Goellerum p. 154. Mülleros p. 186.

†) VI, 3. VII, 17.

ratione enumerare ex loco nostro intelligimus; ac si licet cogere, de quo quidem apud veteres scriptores nihil reperimus relatum, eum hunc temporum ordinem usque ad finem historiarum perduxisse, a Timaeo certe abiudicanda est laus quod primus scriptorum Siculorum accuratum cuiusvis anni ordinem observaverit.*)

Libri secundi decem fragmenta nobis traduntur. Quantum eo temporis spatium sit descriptum non elucet nisi quod tertio libro de Gelonis regno disseritur. Proinde si cogimus hunc librum coeptum esse a tyrannidis per illum occupatione, quippe cui a Philisto viro partium tyrannicarum amante sua vis tributa sit, secundum librum eo usque res a Graecis contra indigenas interque se gestas continuisse facile reperimus.**) — Fr. 7. mentio fit Erucae sive Eryces urbis non procul a Gelensium finibus sitae quam Duris nomen a flumine accepisse, Callias suo iam tempore interisse dicit;***) praeterea nihil de ea tra-tradiderunt scriptores. — Fr. 8. exemplar dictionis Philisteae praebet Dionisyus Halic., de quo nostrum iudicium infra feremus.****) Argumentum ad bellum pertinet quod Syracusani cum Camarinensibus Ol. 57 gesserunt; enumerantur utriusque civitatis socii; Camarinenses Hyrminum fluvium traiecisse idque Syracusanos comperisse. Quid deinde factum sit non narratur quia Dionysius non rem, sed genus scribendi illustrare voluit.†) Secuntur fragmenta sex quibus oppidorum nomina enumerantur (Iaethia oppidum incertae positionis Siculum,††) Caecinum Italiae urbs ad sinum Scylacium sita,†††) Morgyna, Elavia,††††)

---

*) Polyb. XII, 11.

**) Goellerus p. 131.

***) Cluver. Sic. Ant. p. 347.

****) p. 32: *Συρακούσιοι κτλ.*

†) Nihilo minus respecto temporum ordine spectare bellum ad Ol. 57 intellectum habemus ex Scymni Chii. v. 295:

Αὐτοὶ (sc. *Συρακόσιοι*) *δὲ ταύτην* (sc. *Καμάριναν*) *ἦραν ἐκ βάθρων πάλιν*
Πρὸς ἓξ ἔτη καὶ τετταράκοντ᾽ ᾠκημένην.

††) Cluv. S. A. p. 394.

†††) Id. ib. p. 1305.

††††) Id. p. 382 et 394 neque de Morgynae neque Elaviae situ certi quicquam affirmare audet.

Erbessus,*) Ergetium**) Siciliae oppida). In quo cum reputaverimus harum urbium non factam esse mentionem a Stephano, si obiter tantum apud Philistum essent memoratae, vel, si cui fortasse audacius hoc conclusum esse videatur, quantus eorum oppidorum sit numerus quae ab alio scriptore non commemorantur nisi a nostro illo, tum demum quantam iacturam fecerimus in eius operibus intelligemus. Neque enim Diodori neque Pausaniae rerum et locorum Siculorum descriptiones anticum Siciliae statum satis explanant. — Fr. 15. petito ex Pollucis Onomastico ad vocabulum *λαμπτήρ*, quod pro *λυχνοῦχος* apud Philistum usurpatum est, particula adicitur sententiae alicuius in secundo scriptoris nostri libro repertae (*καὶ τὰς νύκτας ἐπαίρεσθαι λαμπτῆρας ἀντιπεφραγμένους*) quae tamen et obscura neque notatu est digna. Ad rem descriptam observavit Goellerus *λαμπτῆρας ἀντιπεφραγμένους* de usu bellico intelligendos esse ac laternas quidem significare ea parte qua hostem spectant obseptas. — E Theonis Progymasmatis sumptum fr. 16 fabulam indicat de equo quae quidem qua occasione prolata sit in hac paucitate reliquiarum nos latet, comparatur tamen cum Herodoti (1, 141) de tibicine fabula quam Cyrus recitasse coram Ionibus Aeolibusque de deditione agentibus eaque commode et acute dicendi exemplum iis proposuisse dicitur. Item Philistum collegeris fabulam quandam historiis inseruisse veris et concinnis sententiis exornatam eamque rhetorem illum Alexandrinum discendi magistris commendasse quam ediscant adolescentes et imitentur.

Tertio libro res Gelonis videntur tractatae esse. Nam fr. 17 Camarinam Philistus ait a Gelone esse expugnatam, Hippocratem autem Gelensium tyrannum cum bello contra Syracusanos gesto multos captivos nactus esset pro redditis his urbem illam accepisse et colonis eo deductis restituisse.***) Praeterea nihil de Gelone e Philisti fragmentis apparet. Lichindus (fr. 18) Siciliae urbs incertum habet situm, Xuthia (19) urbs in Leontinorum terra sita apud Diodorum (V, 8) condita esse dicitur a Xutho Aeoli filio; denique Therma (20) memorantur

*) Duo fuerunt Erbessi sec. Liv. XXIV, 30 et Polyb. I, 18.

**) Quod idem esse ac Silii (XIV, 290) Ergetum seu Hergentum contendit Cluv. p. 337.

***) Quo anno determinari non potest. De postera Camarinensium conditione copiose disserit Goellerus p. 157 sqq.

quae prius Himera dicta ac biennio post eius excidium (Ol. 93, 2=407 sec. Diod. XIII, 79) a Poenis condita sunt. Sed in medio relinquendum est qua occasione usus iam hoc loco oppidi huius mentionem fecerit, si modo res post Atheniensium cladem Siculam gestas libro septimo et insequentibus enarravit: fortasse igitur aliam eiusdem nominis urbem, cuius vestigia omnino disparuerunt, significatam esse nostro loco aliquis suspicatur. —

Hisce tertii libri reliquiis addo fr. 44 (Plin. N. H. VIII 61): „Memorat et Pyrrhum Gelonis tyranni canem Philistus." Narratiunculam hoc loco innui de Gelone canis latrando ab interitu vindicato probant Aelianus (V. H. I. 13. H. A. VI, 62) et Tzetzes (Chil. IV, v. 277), qui easdem ineptias recoquunt. Cuiusmodi fabellae quamquam haud invito a scriptore nostro rebus enarratis additae esse videntur — efficiunt enim omisso loco memorato tria fragmenta, quorum primo (47)*) de somnio quodam matris Dionysii responsoque interpretum agitur, altero**) (48) de ostento paucis diebus priusquam Dionysius tyrannidem occupaverit facto, tertium (57) spectat ad fabularem historiam; de quibus tamen non est cur uberius agamus cum ex Latinis scriptoribus petita neque ullo momento sint de Philisti libris illustrandis — tamen non est inde colligendum scriptorem fuisse superstitiosum vel ineptis fabulis sicut Timaeum historias suas perfudisse. Indicia enim veterum, quae infra percensebimus, plane aliena sunt a tali vituperatione: fuit vero et doctus et diligens neque igitur dubitavit quae sciscitatus esset de portentis quibusdam singularibus in medium proferre. —

Sed redeamus ad propositum. Ac librorum quidem quarti quintique reliquiae non explanant ea quae de argumento eorum desideramus. Enumerantur urbes Omphaca Agrigenti arx a Daedalo extructa (21), Hyblae eae quibus Tiella cognomen erat (22)***) Aethala (23) seu

*) Cic. Div. I, 20.

**) Collati apud Goellerum et Mülleros sunt loci Plin. N. H. VIII, 64 et Cic. Div. I, 33, qui exiguo quodam inter se discrimine ad eandem Philisti narrationem spectant. Schol. Germanic. p. 110 ed. Paris. 1559. Disseritur de Libero ab insania per Junonem ei iniecta liberato.

***) Hoc loco Goellerus multa egregie commentatus est de diversis urbibus quae Hyblae dicebantur p. 159 sqq.

Aethalia insula cuius et situm et quae terra ibi nascuntur descripsit Diodorus V, 13, Motya Motylaeque (24) maritima Siciliae castella, quo tamen loco Cluverius*) depravatos codices et utrumque fragmentum suspicatur esse coniungendum ut unum castellum Motyam fuisse nobis persuadeamus, cuius de origine et situ Diodorus disserit XIV, 47. Jam satis liquet indagantibus quas res duobus his libris scriptor perlustraverite reliquiis nihil manifestum fieri, sed tamen sexto libro Thucydidem secutus auctorem bellum cum Atheniensibus gestum ille tractavit, tertio res Gelonis: librorum igitur interpositorum priorem regna Hieronis Thrasybulique alterum tempora post libertatem Syracusanis vindicatam, bellaque cum Siculis et Ducetio gesta comprehendisse probabile est.**) Itaque fr. 45 (quod in numero incertorum reperitur) quo Dinomenes filius Hieronis commemoratur, libro quarto adnumerandum erit.

Libri sexti quamvis fragmenta pariter ac ceterorum librorum sint exilia neque ad intelligendum aperta (Dasco***) Siciliae oppidum vicinum sinui Dasconi in magno portu Syracusarum (25), Ietae castellum prope Segestam situm (26), Nacona urbs incertae positionis (27), *περιστρώματα* vox perrara (28) quae componitur cum *στρώματα*, *περιβλήματα* aliis quae tegumenta significant) tamen in dubium vocari non licet quin Philistus bellum illud quo Syracusani in maximas omnium angustias sunt redacti, propulsandis vero periculis aeternam laudem sibi conquisiverunt, integro libro descripserit. Thucydidem vero quem imprimis dilexit cum omnino in genere scribendi secutus est tum maxime in enarranda Atheniensium expeditione eius vestigia legit†). Quod autem ne ea quidem nomina quae in reliquiis libri sexti Philistei ad nos pervenerunt apud Thucydidem reperiuntur mirum non est; videlicet

---

*) Sic. Ant. p. 249. Goellerus p. 162.

**) Goellerus p. 131.

***) Apud Philistum: *εἴς τὸ Πλημμύριον καὶ τὸν Δάσκωνα.* Nomina reperies Thuc. VII, 4, VI, 66 aliis locis.

†) Theon. Progymn. p. 9 Heins: *Τὸν Ἀττικὸν ὅλον πόλεμον ἐν τοῖς Σικελικοῖς ἐκ τοῦ Θουκιδίδου μετενήνοχε* et Plut. Nic. 1: *ἅς γοῦν Θουκυδίδης ἐξήνεγκε καὶ Φίλιστος πράξεις, ἐπεὶ παρελθεῖν οὐκ ἔστι, μάλιστά γε δὴ τὸν τρόπον καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ ἀνδρὸς* (sc. Niciae) *ὑπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων παθῶν καλυπτομένην περιεχούσας, ἐπιδραμὼν βραχέως καὶ διὰ τῶν ἀναγκαίων . . . πεπείραμαι συναγαγεῖν.*

scriptor Syracusanus cum interfuerit rebus ipsis multa addidit quae ad Thucydidem longe remotum a belli sede pervenire non potuerant; ceterum Philistus quippe *Σικελικῶν* auctor de intestinis Siculorum uberius agere debebat, Thucydides autem eiusmodi digresrebus sione quantum posset vitare. — Addendum existimo sexti libri reliquiis fr. 46, cuius in priore parte Pausanias (I, 29) de columna verba facit ab Atheniensibus iis exstructa quae in bello perissent. Duces quoque ei inscriptos esse praeter Niciam, quem Philistus scripserit in deditione facienda non sicut Demosthenem manus sibi inferre conatum esse, verum ultro deditionem fecisse. Deinde vero altera fragmenti parte Plutarchus tradit eiusdem Philisti auctoritate nisus Niciam et Demosthenem iussu Syracusanorum interfectos esse*) quod non repugnat Thucydidis verbis VII 86.

Libro denique septimo (fr. 29: *Ταρχία* urbs incertae positionis) si modo argumenta superiorum librorum recte determinavimus, Dioclis Syracusani leges et disciplina partiumque studia usque ad Dionysii tyrannidem pertractata sunt. —

Iam initium fit librorum de Dionysiis conscriptorum, quorum quattuor priores res duodequadraginta annorum, scilicet Dionysii Maioris tyrannidem, duo qui secuntur ut plurimum quinque filii tyranni annos continuerunt. In quo quis non miratur hasce partes de temporum descriptorum spatio quam maxime inter se dissidere, praesertim cum Dionysii patris tyrannis multis rebus domi bellique gestis fuerit insignis, filii nulla re magis quam segnitie et luxuria? Quare primum in eo versabitur quaestio num certi singulorum librorum termini possint indagari, deinde soluta hac disceptatione — potest autem solvi — qui factum sit ut materia rerum enarratarum pessimam illam praebeat disponendi rationem.

Llibri octavi quinque servata sunt fragmenta, quorum ut praetermittamus quattuor priora (30 — 33: *Ἐλβέστιοι ἔθνος Λιβύης*, *Ἀρβέλη* et *Ταύακα πόλεις Σικελίας*, *Μίμαλκες ἔθνος Λιβυκόν*, *Ἐρεβίδαι μέρος Λωτοφάγων*) quintum (Theon. Progymn. p. 19) ad apparatum pertinet belli „quod Dionysius gessit contra Carthaginienses“

---

*) Plut. Nic. 28. Legendum est *ὑπὸ τῶν Συρακοσίων κελευσθέντας*, non *καταλευσθέντας*, quod prorsus ineptum mihi videtur esse.

atque ad navium armorum machinarum fabricationem. Unde Goellerus hoc libro causas et initia tyrannidis Dionysianae enarrata esse vult (Diod. XIII, 91—96) maximeque apparatum bellicum contra Poenos — in quibus omnibus ei adstipulamur — fines autem libri non amplius profert quam ad pacem cum hostibus Ol. 93, 4=405 initam*). Itaque si sequeremur virum quamvis optime meritum de Philisti librorum pervestigatione, noster ille libro primo unum tyrannidis annum illustrasse existimandus esset, tribus autem proximis octo prope lustra! Quae opinio cum per se non sit probabilis, eo quoque labefit quod Diodorus qui Timaeum et per hunc Philistum secutus est auctorem de bellico anni illius apparatu nihil tradit; sed miro modo conveniunt Philisti verba cum iis quae de imminente secundo bello Punico (quod fuit gestum ol. 95, 2—97, 1=399—392) adornata esse ille exponit tribus capitibus (XIV, 41—43)**). Infinita armorum et navium vis, catapultae omnis generis apud Diodorum recensentur, neque ad aliud spectat locus Philisteus, cui eo plus ponderis tribuisse ille videtur, quod naves quadriremes et quinqueremes eae quas extruendas curavit tyrannus ad illud temporis in usu nondum fuerant atque etiam catapultaria ars tum primum Syracusis inventa est. Itaque si non maius temporis spatium octavo scriptoris nostri libro illustratum esse volumus, certe usque ad annum 398 historiam ille deduxit.

Ne libro quidem nono bellum Dionysii Punicum secundum enarratum esse censet Goellerus, verum decimo, undecimo autem tertium contra Poenos bellum eodemque bellum Rheginum extremaque Dionysii prioris tempora descripta esse contendit. Quibus causis adductus vir doctissimus eam rerum distributionem suspicatus sit neque ipse planum fecit neque nos ullo modo intelligimus. Iam enim quamquam reliquiae librorum noni et decimi (fr. 35—38: *Τίσσαι χωρίον, Ἄργυρος πόλις, Κύπη φρούριον, Λυγγώνη πόλις*) certi nihil explanant, tamen quae res undecimo libro sint tractatae e proximis tribus fragmentis (39—41) cognoveris, quibus oppida Italiae, ac duo quidem Samnitum, unum Etruriae enu-

---

*) Goellerus p. 132.

**) In quibus omnibus, inquit Wesselingius ad Diod. t. VI p. 538 aemulari videtur Philistum. Cf. imprimis Acm. Voelkerlingii: „Diodors Quellen für die Geschichte des älteren Dionys“ programma Cruciburg. 1865. p. 11.

merantur (*Τύρσητα* et *Μυστία πόλεις Σαυντῶν*, *Νουκρία πόλις Τυρσηνίας*). Ac quaerentes quanam facultate usus noster ille tot Italiae mediae urbes uno libro commemoraverit edocemur a Diodoro Dionysium a. 385 urbibus ad mare Adriaticum condendis animum intendisse Pariosque qui coloniam deducerent Pharum sinus Adriatici in insulam opibus adiuvisse,*) anno autem postero in Etruriam suscepisse expeditionem, fanum Agyllae urbis Etruriae, cui Pyrgis nomen erat, expilasse, Agyllaeos pugna devicisse.**) Licet igitur concludere libri huius initium fecisse res a. 385 gestas, unde sequitur ut quae fecit Dionysius inde ab a. 398 usque ad hunc annum nono et decimo libro tractata sint. Ac cum huic tempori duo quaedam sint tempestates, scilicet bellum Punicum secundum et Rheginum, illud libro nono, hoc postero enarratum esse optimo iure collegeris. Postremum vero libro undecimi fragmentum (42) quod sequitur tria illa urbium Italicarum nomina, cum ad pompam funebrem Dionysii spectet, sunt fortasse qui nimis longinquum ordinique rerum ceteris libris descriptarum parum conveniens temporis spatium uno hoc libro perlustratum esse censeant ideoque omnem nostram argumentorum distributionem reiciant.' Ac concedimus quidem ordine non ita optimo usum esse eum potuisse qui res intra quattuor lustra gestas tribus, septendecim autem annos uni libro attribuat: sed reputandum est Philistum a. 386 patria esse depulsum, absentem vero maxime ad Padi ripas Syracusis remotissimas et copiam rerum enarrandarum defecisse et studium, cum res antea gestae sua ipsius haud mediocri contagione ad finem perductae essent. Proinde desideraveris in undecimo libro solitam scriptoris peritiam et curam neque aliud quiddam elaboratum esse putaveris atque summarum rerum in breve coactam materiam.

Libri duo de Dionysio Minore conscripti complexi sunt tyrannidis eius quinquennium, quod Diodorus testatur XV, 89; fragmentum autem unum libri tertii decimi exstat *Κραστός*, quae urbs Sicanorum in occidentali insulae parte sita est. Iam manifestum est senem Philistum in vesanum quendam tyrannidis amorem incidisse, neque enim alio-

*) XV, 13.

**) XV, 14. Quod idem intellexit Voelkerlingius progr. mem. p. 11.

quin quinque annos nulla re insignes quam desidia et libidinibus vilissimi tyranni duobus libris pertractasset. At imperfectum scriptor reliquit extremum librum, quod respiciens Dionysius Halic. eum comparat cum Thucydide*) qui ipse historiam belli Peloponnesii ad finem non perduxit.

Superest ut pauca adiciamus de reliquiis iis quas incertas dixit Goellerus, quia quo quaeque libro reperta sit non traditur a veteribus. Cuius generis ad nos pervenerunt fragmenta viginti (44—63), quorum quinque (44—48 et 57) partim singulis libris attribuimus partim explicavimus. Supersedere autem licet nobis quaerere de urbium nominibus quae efficiunt fragmenta quattuor (52—55), et de fr. 56 quod praebet navigii significationem, atque etiam inutile opus censemus proferre hoc loco et examinare eas voces quae propter novitatem ex operibus nostri historici promptae sexque fragmentis sunt servatae (58—63). — Restant igitur fragmenta tria quorum primo (49) incolas Hyblarum urbis, quae Gereatis vocabatur, ostentorum et somniorum interpretes fuisse ceterosque barbaros — Sicanae igitur originis Hyblaei fuerunt — deorum caeromoniis colendis anteisse edocemur, altero (50) de Carthagine condita: dicit autem Philistus annis ante captum Ilium viginti uno eius fundamenta iacta esse, quod unde sciverit aut collegerit explorare non possumus. Fragmento autem tertio (51) specimen dictionis Philistae nobis proponitur, de quo paullo infra sententiam proferamus nostram: iam enim accedere praestat ad universam huius generis quaestionem.

Ac satis quidem intelligi puto ex paucitate reliquiarum certum quoddam de Philisti historiis iudicium fieri non posse nostra aetate, sed veteres quid de illis senserint consulendos esse. Quorum excepto Dionysio Halic. nullum reperimus satis accurate ac copiose hanc rem tractasse, nam ii quorum iudicia ad nos perverunt Hermogenes, Theo, Cicero, Quintilianus, cum ne studerent quidem diligenter percensere Philisti opera, in universum magis utrum laudanda an vituperanda sibi viderentur notaverunt quam singulis partibus examinandis causas suae existimationis protulerunt.

*) Epist. ad Cic. Pomp. 3.

Nihilo vero setius pleraque quae illi de scriptore nostro iudicaverunt concordant. Atque primum quidem quaerentibus qui locus ei conveniat in veterum historicorum numero uno ore praestantissimis eorum Philistum adnumerandum esse critici respondent. Dionysius enim Halic. disceptationem commovens de rerum auctoribus iis qui aptissimos ad imitandum se praebuerint recenset quinque, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Philistum, Theopompum;*) deinde quid in iis laude quidque vituperatione dignum sit exponit. Ac tres quidem priores nostra etiam aetate in suo quisque scribendi genere excellentissimi habentur, Philisti vero et Theopompi praestantiam propterea non aeque perspectam habemus quod eorum opera aetatem non tulerunt. Aliorum ingenii Philistei iudicum, quos temporum quibus vixerunt ordine enumerabo, Cicero compluribus locis sinceram historici nostri admirationem professus est. Ubique eum confert cum Thucydide et ad hunc, si non plane ei aequasse, tamen omnium proxime accessisse praedicat**). Quod discrimen intercesserit inter Thucydidis et Philisti historias idem non aperit; locus enim ille, quod Goellerus quasi praeclare dictum commentationi suae de eius vita et scriptis proposuit (Ep. ad. Quint. fr. II 13: „Siculis ille capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides“) nimis ad universam eius operum indolem spectat quam ut integrum inde nos quoque iudicium de iis cogere possimus. Etenim quae verbis appositis capitalis, creber ceterisque de Philisto praedicavit Cicero, eodem iure ad Thucydidem spectant, qui et ipse scriptor fuit capitalis seu egregius, acutissimus, studiosus eius brevitatis atque crebritatis, ut eiusdem Ciceronis testimonio (de or. 2, 13) verborum prope numerum sententiarum numero consequeretur. Itaque illo Pusillo Thucydide significare voluit auctor optimum quidem scriptoris Atheniensis imitatorem, inferiorem tamen et ingenio et genere scribendi. Ceterum utrumque Cicero eodem loco et numero habet. Comparat eos cum Catone, cuius Originibus cum et flos et lumen eloquentiae non sit abiudicandum***) tamen copiose

---

*) Epist. ad Cn. Pomp. 3 nominibus enumeratis addit: *τούτους γὰρ ἐκκρίνω τοὺς ἄνδρας εἰς μίμησιν ἐπιτηδειοτάτους.*

**) De Orat. II, 13: Thucydidem consecutus est Syracusius Philistus qui .. otium consumpsit in historia scribenda maximeque Thucydidem, sicut mihi videtur, est imitatus.

***) Cic. Brut. 17.

et ornate dicendi facultas desit neque iccirco eas aequare Philisti et Thucydidis opera quae ne e Graecis quidem quisquam possit imitari.*) Verumtamen ut Catonem ita Graecorum quoque praestantissimos scriptores desiisse populi in oculis atque amoribus esse, quod sententiosa illorum dictio intelligendi quandam difficultatem efficeret.

Paullo severius Cicerone Quintilianus iudicat: optimis quidem scriptoribus adnumerandum esse historicum nostrum, sed in imitando Thucydide ut multum infirmiorem, ita aliquantum dilucidiorem se praebuisse.**) Nec vero quisquam ab infirmitatis vituperatione tueri poterit eum qui in historico opere scribendo se in alius historici velut unici exempli consuetudinem formavit; deinde cum qua Philistus mente historias composuerit, quid de republica senserit, quibus studiis constanter se dederit reputaveris, rursus Thucydidem virum integra ac solida libertate usum magnum atque amplum in historia scribenda cogitasse: nemo facile qui Syracusanum nostrum cum Thucydide contulerit crimine infirmitatis illum absolvet. — Quod maiorem in rebus enarrandis perspicuitatem Philisto quam ei quem secutus est vindicat Quintilianus probare videtur nostrum scriptorem levius neque tam subtiliter argumenta sua tractasse quam illum. Nam Thucydides qui totum studium in acriter contemplandis rebus perspiciendisque posuit, hanc ipsam ob causam obscurus saepe ac difficilis ad intelligendum invenitur, attamen Philistus, cui conformandae orationis exemplum ille praebuit, intellexisse quales eius formulae nimia obscuritate laborarent et inde vitasse eas videtur. Ceterum argutissimas sententias difficillimeque expressas Atheniensis ille protulit in orationibus, quae quidem apud nostrum historicum non minimam monstrant imbecillitatem,***) quoque minore ingenii acumine, eo dilucidius tamen fuerint conscriptae. Immo vero quanticumque Philistus a Quintiliano aestimatus, certe in summorum historicorum numero est habitus.

Non ita praecipuum in historicis Graecis locum Hermogenes Tarsius Philisto concedit†) qui Theopompum, Ephorum, Hellanicum,

*) Brut. 85.

**) Instit. Orat. X, 1.

***) Cf. infra Dionys. Hal. de orationibus Phil. iudicium.

†) *Περὶ ἰδεῶν* p. 396: *περὶ Θεοπόμπου καὶ Ἐφόρου καὶ Ἑλλανίκου καὶ Φιλίστου καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις περιττὸν ἔδοξεν εἶναί μοι γράφειν . . . ὅτι*

Philistum non aeque habet dignos quos aliquis imitetur atque Herodotum, Thucydidem, Hecataeum, Xenophontem. Verum cum longum sit causas eius iudicii perpendere idque utrum in universum ad horum scriptorum, quorum opera et laudes habent et vitia inter se diversissima, indolem an aliquam eorum orationis partem pertineat non possit diiudicari, praeterire licet locum deliberantibus non idem probari omnibus iudicibus literatis.

Maiorem vim tribuimus Aelii Theonis loco*) quo reprehenditur scriptor quod omnes digressiones in narrando vitaverit neque igitur interiorem lectorum cogitationem moverit et Theopompo opponitur tam longinquis uso excursibus ut animi legentium abalienentur a proprio argumento et commonefieri cogantur rerum continuationis. Iure nobis Theo in nimium tale brevitatis studium Philisti invectus esse videtur. Immo hic Thucydidem potius debebat sequi qui non egressus extra fines quos rebus narrandis constituerat excursus suos eo consilio his inseruit, quo lucidior rerum progressus et exitus, narratio hilarior fieret.

Locupletissimus omnium qui ad iudicanda Philisti opera aliquid attulerunt testis nobis est Dionysius Halicarnassensis. Duabus commentationibus criticus ille disserens de praecipuis historicis Philistum dignum existimat quem in aequo ponat Herodoto, Thucydidi, Xenophonti, Theopompo; Thucydidi autem accuratius conferat.**) Imitatus igitur secundum eum Philistus est scriptoris Attici orationem, non mores: hic enim cum sit liber inque cogitatione defixus, ille „tyrannorum et aliorum cupiditati subservit.“ Atque fuerit eius utpote Syracusani de republica iudicium mancum neque omni ex parte liberum, tamen utique damnandus videtur propter adulationem Dionysii, quam ne libris quidem historicis mandare dubitavit. Ceterum studii erga tyrannos non eo usque processit ut horum laudationis causa res historicas narrando commutaret; quod si factum esset sine dubio Timaeus abunde tale vitium perstrinxisset. Sed neque hic neque alii eiusmodi

---

ζήλου καὶ μιμήσεως τὰ εἴδη τῶν λόγων αὐτῶν οὐ πάνυ τοι, μᾶλλον δὲ οὐδ' ὅλως... ἠξίωται παρὰ τοῖς Ἕλλησι καθάπερ τῶν ἄλλων. οἷον Θουκυδίδης κτλ.

*) Progymn. I, p. 185.

*) De vett. script. censura 2 (ed. Reisk. vol. V p. 426 sqq.) Epist. ad Cn. Pomp. 3 (Reisk. v. VI p. 779 sqq.)

quicquam de eo tradunt: atque iudicium eius cum discesseris a tyrannorum moribus nimis laudatis obtrectatione et malevolentia liberatum fuisse inde colliges quod Plutarchus in prooemio vitae Niciae se Philisutm potissimum et Thucydidem sequi velle profitetur,*) tum quod eiusdem scriptoris testimonio cladem Atheniensium Siculam non Syracusanorum virtuti sed ingenio Gylippi Spartiatae attribuit.**) Itaque ne in Dionysiorum quidem historia licet suspicari eum res falsas effinxisse, sed iniqua illorum facinora partim reticuisse partim laudi iis vertisse. Certius quiddam de indole eius historiarum non ausim contendere; sed videtur numerum Carthaginiensium non invitus supra tulisse quam fieri liceret, scilicet ut laudes tyranni victoris exaggeraret; saltem tyrannum ubicumque rem gesserit contra Poenos triplicem vel quadruplieem hostium numerum fugasse probabile non est. Eiusmodi autem ineptias neque Timaeus neque Ephorus, e quibus Diodorus res a Dionysiis gestas excripsit, verum Philistus commentus est, quem auctorem illi sunt secuti.

Sed videamus quid porro de scriptore nostro iudicaverit criticus Halicarnassensis. Reprehendit turbatam rerum enarratarum ordinem non minus in Philisto quam in Thucydide: illius vero argumenti dispositionem longe peiorem fuisse quamque difficilius animo consequi possis quam rerum auctoris Attici. Atque hunc quidem alio loco vituperat Dionysius quod narrationes non ita disposuit ut aut loca persequeretur ubi res essent gestae aut tempora ad Olympiadum ambitus vel archontum annos accommodata, sed novam quandam viam ingressus in aestates et hiemes historiam dispertivit.***) Omissa vero quaestione num iure criticus invectus sit in eam Thucydidis proprietatem intellectum habemus Philistum eam non esse secutum, cum Dionysius paullo infra nullum posterorum scriptorum Thucydidis dispositionem probasse certiores nos faciat. Ceterum quatenus Philisteam rerum digestionem iis ex argumentis quae singulis libris attribuimus nos intelligere possumus, assentimur Dionysio; nam remota disquisitione de iis libris qui Dionysii tyranni historiam antecedunt — singulorum enim argumenta, id quod supra demonstravimus, nimis incerta sunt —

*) Plut. Nic. 1.
**) Id. ib. 19.
***) Dion. Hal. De Thuc. judic. 9.

sequi videmus quattuor quorum extremus (liber XI) idem fere temporis spatium complectitur ac tres priores; cum igitur in unum illum librum res septendecim annorum sint coartatae, posteri duo de Dionysii Minoris tyrannide conscripti quinque annos complectuntur: quorum explicationem miro modo distractam fuisse consentaneum est, praesertim cum tyrannus ille nihil sane laude dignum perfecerit.

Pergit vero Dionysius disserens de Philisti genere scribendi:*) A Thucydidis bene dicendi ornatu et commentationum divitiis multum abest. Oratione autem utitur uniformi, gravi, nullis ornamentis praedita, humili atque imperfecta, seu obsidiones exponit seu colonias deductas, seu laudationes seu vituperationes persequitur. Neque igitur orationes fortitudini et magnitudini virorum aptas conscripsit, sed quae strepitum commoveant. At naturali quadam est oris suavitate, ceterum prudens et ad verorum certaminum descriptionem Thucydide longe utilior.

Sed cum in dubio ponendum sit num omni ex parte recte Dionysius de Philisti scriptione iudicaverit — neque enim huius reliquiis iudicia illa possunt examinari neque omnino integro et libero animo in veterum censura usum esse Dionysium patet — praestat inspicere locos eos qui integrum eius orationis specimen praebent. Atque unus quidem quem in medium protulit Dionysius: *Συρακούσιοι δὲ παραλαβόντες Μεγαρεῖς καὶ Ἐνναίους, Καμαριναῖοι δὲ Σικελοὺς καὶ τοὺς ἄλλους συμμάχους πλὴν Γελῴων ἀθροίσαντες (Γελῷοι δὲ Συρακουσίοις οὐκ ἔφασαν πολεμήσειν)· Συρακούσιοι δὲ πυνθανόμενοι Καμαριναίους τὸν Ὕρμινὸν διαβάντας* ... re vera caret iucunditate: saltem sententiae sine varietate structae plane abhorrent a politiore Graeci sermonis usu quo certis quibusdam legibus periodi partes aliae aliter exprimuntur, quarum vicissitudine attenti teneantur legentium animi. — Sed cum criticus exemplum tradere voluerit inepti periodorum generis in medio est relinquendum num in usu scriptori nostro fuerit talis dicendi forma, id quod haud velim mihi persudere; alioquin enim Dionysius non praedicasset rotundum illud scribendi genus natura ei insitum**).

Alterum ipsius Philisti specimen (fr. 51) reperimus apud Clementem Alexandrinum Stromat. p. 618. Recensentur ibi loci nonnulli qui a

*) Non vertimus locos Dionysianos sed in angustiam cogimus eorum argumentum.

**) Accuratius de his rebus iudicium in medium protuli thesi prima quam huic commentationi adiunxi.

scriptoribus ex aliorum operibus ad verbum prope descripta esse dicuntur, sicut Theognis poeta versum quendam Solonis*) excripsit, quam postea sententiam Thucydides aliis verbis reddidit ex quo Philistus eam transcripsit. Sed locum Clementis corruptum esse intellexit Goellerus,**) ut pro sincero Philisteae orationis exemplo haec modo habenda sint: „*Εἰώθασι γὰρ μάλιστα οἱ παρὰ δόξαν ἀπροςδοκήτως εὖ πράσσοντες επ' ὕβριν τρέπεσθαι.*“ Atqui ne haec quidem verba aliquantum augent scriptoris nostri cognitionem quorum neque sensus neque structura novi quicquam habet; ceterum quod Philistus eiusmodi sententiam e Thucydide petivit non ita reprehendendum nobis videtur ut Clementi; Thucydidem enim noster ille omnium scriptorum plurimum manibus versavit et fieri potuit facilius ut fortuito in memoriam loci illius revocaretnr quam ut aliena pro suis praedicare studeret.

Sed haec hactenus. Iam enim cum satis sciscitati esse nobis videamur quid scripserit Philistus et quantum in historia scribenda valuisse a veteribus sit iudicatus, nobis quidem ut perfectum consequamur de historico nostro iudicium summa quaedam relicta est quaestio cui viri docti nondum eam lucem attulerunt ut in certa aliqua sententia consistere possemus. Agendum est de Philisto posterorum scriptorum fonte. Quam in disceptationem primum veniet Diodorus

---

*) *Σόλωνος δὲ ποιήσαντος·*

Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται

ἄντικρυς ὁ Θεόγνις γράφει·

Τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.

**) Vulgo legitur apud Clementem:

Thuc. (cf. III, 39)	Phil.
Εἰώθασι δὲ οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων, οἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ἐλαχίστου ἀπροςδόκητος εὐπραγία ἔλθῃ, εἰς ὕβριν τρέπεσθαι.	*Τὰ δὲ πολλὰ κατὰ λόγον τοῖς ἀνθρώποις εὐτυχοῦντα ἀσφαλέστερα [παρὰ δόξαν] καὶ κακοπραγίαν· εἰώθασι γὰρ μάλιστα οἱ παρὰ δόξαν ἀπροςδοκήτως εὖ πράσσοντες εἰς ὕβριν τρέπεσθαι.*

Aut locus ita disponendus est ut verba *τὰ δὲ πολλὰ . . . κακοπραγίαν*, quippe in quibus imitatio scriptoris non reperiatur, Thucydidis loco addantur, quod tamen repugnat verbis huius quae inspicias III, 39, aut omnis haec sententia, id quod veri simillimum est, pro subditiția habeatur.

Siculus quoniam eius Sicularum rerum historia integra et omnium perfectissima ad nos pervenit, tum Plutarchus qui in prooemio vitae Niciae ipse se Philistum sequi velle auctorem profitetur; atque ita quidem speramus ad finem hanc quaestionem perductum iri, ut neutrum eorum ipso Philisto fonte, sed utrumque posteris rerum auctoribus usum esse horum, tamen historias a nostro scriptore repetitas esse demonstremus.

Verum huiusmodi opus cum et egrediatur spatium huic commentationi concessum et ipsi temporum angustiis rerumqe conditione cogamur scribendi finem facere, profitemur non nimio tempore interiecto promissis nos satisfacturos esse.

Vita.

Natus sum Georgius Volgangus Koerber a. d. III. Id. Iul. anni h. s. L Vratislaviae patre Guilelmo, qui professoris munere fungitur non minus in hac academia Viadrina quam in gymnasio huius urbis Elisabetano, matre Anna e gente Hermes, cuius mortem praematuram pariter defleo atque alteri matri Clarae, e gente Balsam, pium gratumque animum per omnem aetatem servabo. Fidei addictus evangelicae prima elementa edoctus sum in literario gymnasii Elisabetani ludo et annos octo natus in ipsum ascendi gymnasium quod etiam nunc floret Caroli Fickerti viri summi auspiciis. Post novem annos et semestre testimonium maturitatis rite nactus mense Aprili anni h. s. LXVIII Roepellio v. inl. tunc fasces tenente hanc adii universitatem Viadrinam philologicis studiis operam daturus. Nomen rite professus apud. v. inl. Gallium Ordinis Philosophorum Decanum per tria semestria scholis interfui, deinde Berolinum cum transmigrassem continuavi studia per annum. Bello enim anni h. s. LXX orto ad vexilla vocatus et negligere literas coactus sum, donec consequenti anno revertendi ex Francogallia facultas mihi daretur. Dimissus ab exercitu studia hucusque iteravi partim Berolini partim patria in urbe.

Adii vero scholas vv. inl. Braniss, Dilthey, Hertz, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Schultz, Haupt, Hübner, Kirchhoff, Müllenhoff, Steinthal et per semestre seminarii reg. phil. extraordinarii consessibus interfui quos regebat Rossbachius v. inl. — His viris omnibus, quorum egregia de studiis meis sunt merita, imprimis autem Rossbachio, Reifferscheidio, Hertzio, qui privatis consiliis benignissime me adiuvare numquam desierunt, gratias ago maximas semperque eorum memoriam pio gratoque animo me esse prosecuturum libere promitto.

Theses.

I. Dionysius Halicarnassensis quae de Philisti dictione vituperat ad eius Σικελικῶν septem libros, quae laudibus effert ad Dionysii Maioris historiam referenda sunt.

II. Dionysii Minoris historia a Philisto conscripta Ciceronis iam tempore in lectorum manibus versari desiit.

III. Philisti fragm. 6 ita emendandum esse existimo: *Ἐπὶ τῆς Ὀλυμπιάδος, ῇ Οἰβότας Δυμαῖος ἐνίκα στάδιον* . . .

IV. Sophocl. Trach. v. 911:

Καὶ τὰς ἄπαιδας ἐς τὸ λοιπὸν οὐσίας

contra Hermannum, Dindorfium, Meinekium, alios genuinum esse censeo.
